

terre medietatem idem Ladizlaus supradicto Nicolao, ex concessione regia dederat et assignarat, supradictis Magistro Dacyano et Christoforo, pro quadraginta et duabus marcis, partim in denariis, et partim in estimacione condigna, plene receptis, vendidissent perpetuo possidendam; quas tamen XL et duas marcas, Magister Dacyanus et Christoforus persoluerunt coram nobis Ladizlao et Nicolao prenotatis. Dixit etiam Ladizlaus, quod non solum predictam terram Borsod, pro predicta summa pecunie vendidisset, verum etiam maxime pro eo dedisset, quod cum Comes Paska, pater eiusdem, in extremis laboraret, paterna benedictione sibi iniunxisset, vt si heredum solatio destitutus fieret, nemini de cognatis suis eandem terram vendere seu dare presumeret, nisi filijs Johannis, consobrini sui, videlicet Dacyano et Christoforo prenotatis. Nec hoc pretermittimus, quod Ladizlaus et Nicolaus prenotati, recepta sepedicta pecunia plenarie, priuilegium Regis Bele, super collacione eiusdem terre confectum, in manus Magistri Dacyani et Christofori statuerunt coram nobis. Sepe dictam terram Borsod, in metis et terminis, in ipso priuilegio continentibus, tenendam, et possidendam in filios filiorum suorum relinquendo. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus, ad instanciam et petitionem Ladizlai et Nicolai predictorum, sigilli nostri munimine roborando. Datum anno Domini MCC. septuagesimo nono.

Fejér. Codex Dipl. Regni Hung. T. V. v. II. p. 588.

LXXIII.

Anno 1279—1419.

Privilegia Communitatis Nobilium Praedialium castri et oppidi Reicha seu Rovišće, nunc in confinio militari siti.

Nos Nicolaus de Gara, regni Hungarie Palatinus, et Iudex Comanorum, nec non Comes Petrus de Peren Iudex Curie Serenissimi et Magnifici principis domini Sigismundi, dei gracia Romanorum regis semper Augusti, ac Hungarie etc. regis, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit vniuersis. Quod cum Elias filius Mykech de Welike, Comes terrestris Reychensis, nec non Ladislaus filius Michaelis de Fodorostyna et Petrus filius Petri Chvrch de Pribenoch, in eorum ac vniuersorum et singulorum predialium et Nobilium Castri Reychensis personis, domino nostro Sigismundo regi, in eo, quod quamvis ipsi et quilibet eorum prediales et nobiles Jobagiones Castrenses existendo, per diuos reges Hungarie, propter preclara progenitorum eorum seruiciorum merita specialibus libertatum prerogatiuis et graciosis indultis, vigore certorum litteralium Instrumentorum exinde confectorum, fuissent et essent presigniti,